



- 1 Baumgarten s. Sigm. Jac. s. meditatio-
nes quardam de Genuina et Spuria
edificatione spirituali Mediorum illius
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings s. Christ. s. diff. de Christo
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloßen s. dieu. Sigm. s. diff. de Opere
dei miraculoso, Gratioso et Glorioso
in sanctis rediivivis demonstrato,
Francof. 1726.
- 4 Clauswitz s. Bened. Gottl. s. diff. de
Spiritu Sancto Annabone, Halle, 1747.

22
22

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
SACRVM ANNIVERSARIVM
IN MEMORIAM
CHRISTI REDIVIVI

ANNO MDCCXXXVII

CONCELEBRANDVM

INDICIT

1-22

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIAE
SACRAE UNIVERSITATIS
IN MEMORIAM
CHRISTI REDIVIVI

ANNO DOMINI MDCCLXXVII

CONCELEBRANDVM

INDICIT





Christum ενσωτηρον ab eo tempore, quo humana ipsius natura cum diuina coniungi coepit, nunquam factum fuisse ασωτηρον, ac ne posse quidem vnquam fieri, cum testimonia scripturae sacrae amplissima confirmant ^{a)}, tum muneris suscepti declarat ratio, quae ita ferebat ac postulabat, vt ecclesiae caput semper idem in sua dignitate permaneret. Notum ac peruulgatum est istud Theologorum decretum: *Quod Christus semel adsumpsit, id ille nunquam deposuit, nec vnquam est depositurus*. Id vero dictum existimari volunt de eis dumtaxat partibus ac proprietatibus, quae ad ipsam veri hominis naturam et constitutionem integram pertinent. Non debet intelligi de rebus huiusmodi, quae homini accidere poterant, neque officii causa erant recusanda, quando quidem ea humillimae serui conditioni conueniebant ^{b)}. Non est igitur, quod mireris, veteres quosdam Doctores christianos, recte sentientes, non dubitasse ασωτηρον vocare Christum, morte deuicta in vitam reuocatum. GREGORIUS Nazianzenus ^{c)}: εν επι μεν σαρκι, εν ασωματων δε.

A 2

modum

a) V. g. Ioann. II. 19. coll. Rom. VI. 9. VIII. 34. Hebr. II. 14. 18. V. 7. 9. VII. 23. 24. 28.

b) DAMASCENVS, *de fide orthod.* L. IV. c. I: μετα την εν νεκρον αναστασιν, παντα μεν τα παλι απεδετο (Χριστος): φθοραν λεγων, πειναν τε, και διψαν, υπνον και καματον, και ταιαυτα. - - Ουδεν δε των της Φυσεως μερων απεδετο, ο σαρκις, ο ψυχην. Id commentatione sua doctissimus LEQVIEN scite illultrauit.

c) *Orat.* XL.

IV

modum THEOPHANES ^{d)}: *ευσαρκον μεν, εν σωματιον δε*. Ex qua oppositione plane adparet, negationem illam non ita simpliciter in vniuersum valere, sed sigillatim ea ratione, quoad quidem *carnem* hominis a *corpore* distinxerunt ^{e)}. Negant Christum hodieque *εν σαρκι ειναι*, adfirmant eundem, *εν σωματι*.

Facilis erit rei explicatio, dum modo planum fecerimus, quam nomini potestatem subiecerint. Duae sunt, in praesens commemorandae, vocabuli, *σαρξ*, significationes, vt plures alias, ab instituto nostro alienas, silentio transeamus. Vtraque spectat ad partem humanae naturae alteram, quae ab animo discernitur. Primum quidem *σαρξ* dicitur corpus ipsum, quatenus id totum ex partibus suis naturalibus constat, cui contraria sunt, *Φαντασμα*, species atque umbra corporis, et *πνευμα*, in quo nihil est mixtum, nihil concretum, ac dissolubile. Ea igitur ratione *σαρξ* idem prorsus valet, ac *σωμα*. Atque adeo ne quidquam inter haec duo interese, proinde Christum etiam, ab inferis excitatum, non minus, quam ante, *ευσαρκον*, hoc est, *ευσωματιον* esse, perpetuoque permanfurum, summa consensione docuerunt omnes ad vnum, purioris doctrinae custodes ac vindices. Immo tam aperte nullam habuerunt verborum discrepantiam, vt in miserias nato ac morienti Sponsori nostro *σωμα*, eidemque rediuuio ac sublimi abeunti, *την σαρκιν* adseruerint ^{f)}. Deinde vero *σαρξ* notat illud ipsum corpus, quantum ad qualitates, quas Graeci *ποιουτητος* adpellant, quoad est mortale atque infirmum corpus; atque huic opponitur *σωμα*, corpus,

d) *Homil. XXXV.*

e) vid. SVICERI *thes. eccles. T. I. pag. 308.*

f) Quam in sententiam IGNATIUS pronuntiat: *Εγω και μετα της αιωτας εν σαρκι αυτου οίδα, και πιστευω οντα*. E contraria parte eos, quorum ferebat opinio, Christum vere humanam corpus ante, quam mortem oppeteret, non habuisse, ob eam ipsam causam nomine των σωματιων nuncupat, in *epist. ad Smyrn.* apud COTTELRIVM in *Patr. Apostol. T. II. p. 34.* Nec contemnenda sunt a CLERICO ad h. l. adnotata. IRENAEVS in primis, qui vocem, *σαρξ*, saepe numero, nec vnquam aliter, nisi *σωματος* notione, vsurpauit; L. III. p. 242. edit. GRABII, mentem suam his declarauit verbis: *τον αυτου ειδως Ιησυν Χριστον, ω ηρωιχθιησαι αι πολαι τι ηραν διαι την ευσαρκον αναληψιν αυτου ος και εν τη αυτη σαρκι, εν η επλθεν, ελευθεται*. DAMASCENVS item, l. c. *αυτη εση η σαρξ, η παλυσσα, και ανατασσα*.

V
corpus, natura quidem sua omnino vnum idemque, at illustri-
tamen perfectione exornatum, a quo nimirum omnis abest imbecil-
litas et fragilitas ^{g)}.

Itaque pauci inter antiquos, neque ad vltimam antiquitatem
referendi, Christum rediuinum *ασαρκον* vocarunt propter ea, quod
recte eum censerent verum quidem corpus adhuc habere, idque
non aliud, et ab eo, quod exanime sepultum iacuerat, diuersum;
sed tamen segregatum ab omni concretionem mortali, omnisque
pers corruptionis; quocirca *ασωματων* eum nominare nemo illo-
rum vnquam ausus fuit ^{h)}. Quod vero ad *corruptionem* adinet,
ne eam quidem vno omnes modo explicarunt, atque huius etiam
vocabuli, *φθορα*, ambiguitas disensionem inter eruditos in sacra
Dei

A 3

g) Diserte AVGVSTINVS, *contra Manich.* XVI. c. 29. *Opp. T. VIII.*
ed. Mon. Bened. p. 215. Mortalitas est, inquit, secundum quam cor-
pus hoc proprie nominatur caro. Quae mortalitas proprie caro ad-
pellata est, quoniam in illa resurrectionis immortalitate non erit.
Propter ea scriptum est: caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.
Ipse tamen vir summus istam nominis rationem non tanti fecit, vt
semper eam studiose obseruaret. *Serm. 240. Opp. T. V. p. 698.* de
corpore loquutus est *incorruptibili*, quod paullo ante dixerat, *caro*
resurget incorruptibilis. Hoc in loco, aliisque eiusmodi, crebri-
orem sermonis morem sequutus est.

i) Interdum quidem vsu venit, vt *αφθαρτον*, atque *ασωματων*, tamquam
συνωνυμα putarentur. De variis modis, et tribus potissimum, qui-
bus Philosophi vocem hanc, *ασωματων*, olim vsurparunt, literate
expofuit summe venerab. MOSHEMIVS, ad illuminandum CVD-
WORTHII *systema intell.* pag. 1019. not. 2. conf. pag. 945. seqq. et
pag. 1011. Is idem p. 1100. iusta reprehensione animaduertit in
DAMASCENVM, quod is imprudenter arbitratus sit, praeter Deum,
nihil esse *ασωματων*. Itaque Spiritus creati omnes ex numero re-
rum *ασωματων* excluduntur: at ipse tamen falsus erat ante, an-
gelos esse *ασωματους*. Si quid ad eum excusandum pertineat,
nobis quidem videretur DAMASCENVS, quamuis incaute scripserit,
tamen haud perperam sensisse, atque hoc tantum voluisse dicere,
quod Deus *μονος* sit *ασωματος*, quem ad modum in sacris litteris vo-
catur ipse *μονος δυνατης, μονος αφθαρτος, μονος εχρον αδιουστιας*, quippe ne-
cessario, ac per se ipsum, vt non ex alterius arbitrio pendeat,
quum, contra, nulla res sit, cui contigerit *ασωματων* existere, nisi
Dei beneficio. Hanc enim ipse distinctionem fecit *των ασωματων*,
quod eorum vnum sit *φυσει ασωματων*, reliqua *χαριτι*.

VI

Dei ciuitate peperit hanc exiguam. Interdum vim eius cohibuerunt, eoque nomine nihil indicauerunt amplius, quam infirmitatem, et malorum, quae homini in hac mortalitate accidere possunt, perpeffionem, ipsamque adeo mortem, omnium, quae in corpore animato insunt, virium sentiendi mouendique priuationem, et, quae eam efficit, animi et corporis separationem ¹⁾). Non nunquam id multo latius patere voluerunt, vt, praeter calamitatem et morrem, notaret dissolutionem corporis, ab animo seiuncti, minimarumque eius partium ^{m)}). Et illud quidem superius Christo abiudicare, Doctoribus intolerabilis opinio visa fuit, nec iniuria: quam ob rem detestati sunt sectam APHTARTODOCETARVM, quod Christum illi dolore nullo vnquam adfectum comminiscerentur, humani nihil vere passum, nullas expertum infirmitates, vt sunt, fames, sitis, lassitudo, cruciatus, mors denique ipsa ⁿ⁾). Hoc autem alterum Christo tribuere nefas habuerunt, ita profecto rectissime iudicantes. Subtiliter de ea re disseruerunt quidam, cum verborum, *Φθορα*, ac *διαΦθορα*, differentiam statuerunt, cuius quidem discriminis rationem posterunt in eo, quod *Φθορα* esset infirmitas mortalitasque, quam Christus pertulit, *διαΦθορα*, dissolutio corporis, dissipatioque tenuissimarum particularum, quam nos proprie corruptionem dicere consueuimus, et quae non poterat in Christum cadere. Quo pacto se illud, quod in voce, *Φθορα*, ambiguum esset, sustulisse rati sunt ^{o)}). Nobis nihil tam perspicuum, quam sacris in litteris

J) Ita et PAVLLVS ea voce vtitur, ad Rom. VIII. 21. quo in loco *φθορα* nihil est aliud, quam id, quod dictum fuerat supra, *τα παθηματα*, v. 18.

m) Haec nominis significatio veterum litteris vsitatior est, vnde crebra distinctio *της φθορας, και των παθων*. ISIDORVS PELUSIOTA, L. II. ep. 143. Sic ATHENAGORAS, de *resurr. mort.* p. 74. ed. b. RECHENBERGII, discernit haec duo, *αφθαρτον, και απαθει*. Similiter pag. 128. *αφθαρτον και αθανατον*.

n) vid PHOTII *Bibl. Cod. CLXII. NICEPHORI histor. eccl. L. XVII. c. 29. BARONII annal. eccl. T. VII. p. 528.*

o) Planissime rem explicat DAMASCENVS, L. III. de *orth. fide*, c. 28. Το της φθορας ονομα δυο σημαίνει: σημαίνει γαρ τα ανθρωπινα παθη, περιουσι, δεψαι, κηποι, την των κλων διατριβην, θανατον. - - κατα τετο, φθαρτον το τε κυρια σωμα φθιεν. - - σημαίνει δε η φθορα και την τελειαν τε συμματος εις τη εξ αυ συνετεδη τοιχεια διαλυτην και αφανισμον, ητις πολλοις υπο πολλων διαφθορα

litteris nullam esse horum vocabulorum distinctionem. Lege cum cura Act. II. 27. XIII. 34. seqq. et 1. Corinth. XV. 53. quo in loco το φθαρτον discernitur ab eo, quod dicitur το θνητον, ideoque non potest non idem esse, ac διαφθαρτον.

Grauissimi veritatis aduersarii vehementer in hoc errarunt, immo communem omnium hunc errorem fuisse, IRENAEVS commemorat P) quod nulla vnquam expectanda sit carnis exanimatae restitutio, seu, vt vulgo Christiani loquuntur, carnis resurrectio. Verum tamen non omnes in eadem culpa ac suspicione ponendi nobis videntur. Quidam eorum omne id, quod Scriptores diuini αναστασιν νεκρων adpellant, ad animum retulerunt, de quibus TERTULLIANVS Q): *dimidiam*, inquit, *agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animae*. Id quod alii quidem illorum improprie sunt interpretati, nimirum de noua animi generatione, atque a peccatis ad Deum reuersione, quae dici solet spiritualis resurrectio); alii vero proprie, de animo, post discessum e corpore suo arte grauiusque dormitante, tandem aliquando expergefaciendo, quae delirantium de animi somno somnia nomen illis PSYCHOPANNYCHITARVM adtulerunt. De vniuersa Gnosticorum turba et colluue exploratum habemus, noluisse eam confidere, fore, vt mortui reuiuiscant. Nec poterat aliter, adsumta falsissima opinione

duorum διαφθορα ονομαζεται. Tripartita diuisio placuit ORIGENI, qui ad haec duo φθαρτον, et διαφθοραν, adiunxit tertium, καταφθοραν, cuius hanc dedit definitionem: το παθεν φυσιν υπο φυσικης, ως εριον υπο σιγτος, σαρκια, σιτον, και ζυλον υπο σικαλικων. Ita ille, in *selectis in psalmos*. Opp. T. II. p. 600. edit. DE LA RVE.

- p) *adu. haeresi. L. I. c. 19. pag. 93. L. V. c. 2. p. 395.*
- q) *de resurrect. carnis, c. 2.* De ARCHONTICIS memoriae prodidit EPIPHANIVS, *adu. haer. L. I. T. III. haer. 40.* eos existimasse, μη εναι σαρκος αναστασιν, αλλα μονον ψυχης. Nec aliter sensisse MARCIONISTAS, testatur, itemque caeteros erroribus infames plerosque, *ibid. haer. 42.*
- r) Sicut IRENAEVS, L. I. c. 21. p. 96. de MENANDRO scriptum reliquit, nugatum eum esse: *resurrectionem per id, quod est in eum baptisma, accipere eius discipulos.* Nec dubitamus, quin metaphoram aliquam, qualiscunque demum ea fuerit, cogitauerint illi, aduersus quos PAVLLVS disputat 2. Tim. II. 18. Varias variorum coniecturas collectas tibi exhibet b. WOLFIUS in *curis critic. phil.*

VIII

duorum principiorum, inter se repugnantium, quorum ex altero, eoque malo, exortum fuerit corpus, caro, omnisque adeo materia^{s)}). Fuerunt rursus, quibus non suo merito infamiam haereticorum ab HIERONYMO, PHILASTRIO, EPIPHANIO, DAMASCENO, aliisque historiae haereticorum conditoribus, iniustam fuisse arbitramur. Non continuo, si *carnis avasasw* negarunt, *corporis* itidem negasse sunt existimandi^{t)}). Nolumus in praesens inquirere in causam ORIGENIS, num quid forsitan habeat excusationis, etiam si non omnino iustae, tamen quae probari posse videatur^{u)}). Arguit quidem eum, ut solet, qui infenso atque inimico in eum animo fuit, HIERONYMVS, quod a recta deflexerit sententia; at eum tamen fateatur alienum fuisse ab infamia illorum, qui magno conatu hoc egerint, ut dogma de resurrectione non *carnis* solum, sed etiam *corporis*, omnino impugnarent ac funditus euerterent^{x)}). Ipse ORIGENES diserte alicubi professus est^{y)}): *Christus, post resurrectionem adsumtus in caelum, secum terrenum corpus euexit. - - - Propter illud, quod dictum est: caro mea requiescit*

s) vid. b. IAC. THOMASII *Sched. bistor.* §. 35.

t) De VALENTINO scienter adnotauit LEQVIEN ad DAMASC. T. I. p. 84. *carnis resurrectionem non fore statuit, sed corpus dumtaxat resurrecturum.*

u) Causae patrocinium susceperunt PAMPHILVS, vel quisquis est auctor *apologiae pro Orig.* (suppositis enim libris eam adnumerandam esse, contendit HIERONYMVS, in epist. LXXXIV. Opp. T. I. p. 528. ed. VALLARSII) AVGVSTINVS, *haer.* 43. Opp. T. VIII. p. 10. RVFFINVS in *comment. de adult. libr. Orig.* Aequum etiam se illi aestimatorem et iudicem praebuit b. IO. GERARDVS, in *locis theol.* T. VIII. tr. 2. §. 70: *Negari nequit, Origenem in aliquot locis ipsorummet corporum resurrectionem adserere, et grauiter conqueri, quod habuerit aucupes sermonum, semper deditos ad criminandum, ut venenatas in eum linguas vibrarent. Forte igitur carnis nomine, quam a resuscitatis corporibus remouet, qualitates vitiosas, non autem corpoream substantiam intellexit, quod postea in alienum sensum maleuoli detorserunt. Haec conferenda sunt cum eis, quae uberius et fufius disputauit HVETIVS in *Origenian.* L. II. c. 2. *quaest.* 9.*

x) Ex quadam HIERONYMI epistola depromptam eius sententiam CAR. DE LA RVE inseruit in Tomum I. Opp. ORIGENIS, pag. 36. y) in *Pf. XV. Opp. T. II. p. 600.*

quiescit in spe. In qua spe? Non solum quia est mortuus resurget (parum enim hoc est); sed in ea spe requiescit, quod adsumetur in caelum.

Inuidiosa sunt, quibus corruptores doctrinae christianae strenuos eius conferuatores onerarunt, nomina CARNEORVM, PHILOSARCARVM, PELVSIOTARVM²⁾. Ita contumeliosos eos vocibus prosequuti sunt propter ea, quod rectam eorum sententiam aut ignorantes peruerse perceperint, aut recte percipientes malitiosa interpretatione impudenter peruerterint. Verum est quidem, ne quid dissimulemus, PATRES optimos non satis caute cogitateque aliquando scripsisse^{a)}. At aliis tamen in locis aperte declararunt, se arte tenere adcurate defendere futuram *ωνασαων* huius

2) De hac iniuria maledicorum conuicatorum, ex ORIGENIS scho-
la, Magistro suo, vt opinamur, deteriorum, valde queritur HIE-
RONYMVS, l. c. *Pelusiotas nos adpellant, et luteos, animalesque,
et carneos.* Porro, in *Comment. in Ierem.* Opp. T. IV. pag. 1047:
*Nos vocant πυλωτας, eo, quod in luto istius corporis constituti, non
possimus sentire caelestia.* Euidens est, ERASMVVM falso legisse, *Pi-
losotas*, ac si probrosi illius nominis origo non a graeco, *πυλος*,
sed a latino, *pilus*, esset ducenda. Conf. IOSEPHI BINGHAMI
orig. eccles. L. I. c. 2. §. 17. Singularis est doctissimi VALLAR-
SII coniectura: *Homines videlicet crassae Minervae, et plumbeos,
allusione facta non minus ad mores incolarum Pelusii, quam ad no-
minis etymologiam, est enim, auctore STRABONE, πυλωτων παρα το
πυλος, vt, si Lutetiam a luto dixeris derivari.* Cum ea quodam mo-
do congruit haec interpretatio, quae exstat in *edit. Francof. Opp.
Hieron.* T. II. pag. 132. b. *Pelusiota* (non enim *Pelosiota* scribitur)
deriuatur a *πυλος*, *lutum*, et, *ωτας*, *substantia*; unde *Pelusium* quasi
luteae substantiae. *Festiuitas est in ambiguo verbo.*

a) Merique fere sibi persuaserunt, corporis *ωνασαων* pertinere etiam ad
capillum, vtpote qui ornamento sit, ad barbam, tamquam quae
virum deceat, ad omnia tandem, quae sunt eiusmodi. TER-
TVLLIANVS in suo libro *de resurrect. mortuorum*, non vbiq;
ea, qua par erat, adcurate de his rebus disputauit. AVGV-
STINVS de *ciuit. Dei*, L. XXII. c. 19: *Si capilli, inquit, toties ronsi,
unguesque desecti, ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt; nec
tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eandem carnem, vt quem-
cunque ibi locum corporis teneant, seruata partium congruentia, ma-
teriae mutabilitate vertentur. Quamuis, quod ait Dominus: capillus
capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capilla-
rum, multo aptius possit intelligi.*

X
huius quidem ipsius, qua nunc induti sumus, carnis, sed non eadem, qua nunc est, conditione, mortali nimirum ea, fragili, et variis modo incrementis, modo decrementis, mutabili^{b)}. Ea igitur mente, ut illam propulsarent iniuriam, non nulli ex venerando PATRVM collegio *αναπασιω* corporis, quam *carnis*, dicere maluerunt.

In Scriptura diuina, ubi de corpore adhuc mortali fit mentio, vox quidem utraque, tum *σαρξ*, tum *σωμα*, adhibetur, nec vero profus aequa et pari potestate. *Σωμα* enim ipsam corporis naturam denotat, quatenus est *corpus*, *σαρξ* significat eiusdem infirmitatem, quoad est *mortale* corpus. Ex quo intelligitur, quae sit differentia verborum: *εν σωματι της σαρκος*, et quod in illo, *σωματι*, non superuacaneum sit hoc adpositum, quasi inanis repetitio: *της σαρκος*^{c)}. Sententia haec est: in eo corpore, quod erat mortalitati obnoxium. Quam ob rem additur hoc enuntiatum: *δια της θανατου μας αποκατηλλαξεν*, per mortem, quam non poterat ipse aliter, nisi eiusmodi corpore indutus, obire, vos Deo reconciliauit. Eam nouimus vim esse sacrae loquutionis, quam hebraeae linguae magistri statum regiminis vocare adsolent, ut, *ברורה ישראל*, virgo, quae est Israel, *πολις της σαμαριας*, vrbs, quae est Samaria; sic *σωμα της σαρκος*, corpus, quod est caro, id est, fragile et mortale corpus. Mortalitate autem superata, idem illud hominis corpus, vita recuperata atque immortalitate praeditum, *σωμα* dumtaxat dicitur, nusquam *σαρξ* nominatur, si ab vno discesseris loco, Luc XXIV. 39., cum in eo esset rediuius Liberator noster, ut suae disciplinae alumnos de rei veritate certiores prius faceret, quam suam iniret gloriam. Atque in eo ipso loco *σαρξ* opponitur non *τω σωματι*, sed *τω πνευματι*. Est igitur idem, ac *σωμα*, cuius natura quidem omnino est eadem, quae ante fuerat, alia tamen conditio. De quo dictum est supra. Vniuersum vero illud vitae ante actae spatium, quo imbecillitatem humanae naturae omnem ipse pertulit, designatur ista dicendi ratione: *εν ταις ημεραις της σαρκος αυτου*^{d)}. Quod IOBVS con-

fidenter

b) *Σωμα τυρω, η τοιρω*. CYRILLVS Hierosolymitanus, *cat.* XVIII. pag. 294. edit. TOVTTE'E. *Ανταθω λεγομεν αυτο, η τοιρω*. ISIDORVS Pelus. L. II. ep. 143.

c) in litt. *ad Coloss.* c. I. v. 22.

d) *ad Hebr.* V. 7: *quum mortalis ageret*. Sic CASTELLIO graeca latine reddidit ad rem apte.

fidenter profitetur, ac prae se fert: **מבשרי אחדוה אלוה**, ^{g)} id ad miseram, quae cum tunc adfligebat, corporis debilitatem, in posterum abolendam atque immutandam, referri aequae debet, atque illud PAVLLI dictum ^{f)}: *Ὁς μετασχηματίζει το σωμα της ταπεινωσεως*, non quatenus adiunctam sibi ταπεινωσιν circumfert, ideoque ut *σαρξ*, siue *σωμα της σαρκος*, consideratur, sed quoad est *σωμα*, perpetuo duraturum, ex cineribus excitandum, et, compositis omnibus suis partibus, forma splendidissima illustrandum ac perficiendum.

In summo errore versantur SOCINI adfectatores, cum dicunt, corpus hoc, ex quo animus emigravit, prorsus ita destructum iri, ut in nihilum abeat, in eiusque locum aliud quoddam, longe ab illo diuersum, succedat. Corruptionem desiniunt, quod fit adnihilatio, ut barbare loqui amant. Putant igitur, αναστασιω nullo modo huius ipsius corporis restitutionem fore, sed omnino alius cuiusdam creationem ^{h)}. Incredibilis sane, et iustitiae

B 2

Dei

e) Huius effati sententiam utique ad futuram αναστασιω νεκρων spectare, praeter alios egregie pugnavit vicitque b. IO. HENR. STARCKIUS, in *notis sel.* p. 41. Mirandum in modum CHRYSOSTOMVM fefellit opinio, neque Iobum, neque alium quempiam eorum, quos antiqui foederis tulit aetas, vlla imbutum fuisse cognitione tantae, tamque ponderosae veritatis, quod mortui sint ab inferis revocandi vid. SVICERI *thes. eccles.* P. I. p. 319. seq. Immemor fuit ille, ut plura taceamus, disputationis, qua Christus Sadducaeos expugnauit. Rectius iudicat HIERONYMVS, contra Io. Hieros. *Opp. T. II.* pag. 438. *Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste (Iobus) ante Christum de resurrectione loquitur.*

f) ad Philipp. III. 21.

g) Nihil portant noui. Inter veteres VALENTINIANI accusantur ab EPIPHANIO, L. I. *Tom. II. haer. 3.* quod statuerint, μη το σωμα τω αυτοστω, αλλ. ετερον μεν εξ αυτου, ο δη πνευματικον ηυλασεν. Com- mentitiae illi fabulae finitimam, de corpore aëreo aethereoque, ORIGENI tribuit HIERONYMVS, cum omnibus illi aduersariis. Id ne quis auderet dicere, execrationibus publicis sancitum est in *Concilio Constant.* II. *can. 7.* et 8. Atque haec causa fuit, quam ob rem indigne tulerunt, si qui veritatem astute simulantes, de corpore tantum, nihil de carne humana differerent, eoque ambigue dicto imperitis improvidisque verba darent. HIERON. in *epist. LXXXIV. Opp. T. I.* p. 522: *Credimus, inquit (qui ORIGENEM sequuntur), resurrectionem corporum. - Sed quia corpora sunt coelestia,*

XII

Dei bonitatisque minime consentanea, mortuos in vitam reuocandi ratio, quam ne nomine quidem *αναστασεως* dignam iudicamus ¹⁾. Totam vero recens creati corporis naturam longe ab omni materia remotam comminiscuntur. Corpus quidem futurum esse, aiunt, at nihil tamen, nisi Spiritum. VAL. SMALCIVS ¹⁾: *totus*, inquit,

flis, et terrestria, et aer iste, et aura tenuis, iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem. Conf. EIVSD. lib. contra Ioann. Ierosol. Opp. T. II. pag. 434 seq. In expositione fidei tuae, ad decipiendas aures ignorantium nouis corpus, et ne semel quidem carnem nominas, et rel.

- 1) Verissime loquitur GREGORIUS NYSSENVS, *de an. et resurr. T. III. p. 214*: *Εἰ μὴ ἀκριβῶς τὸ ἴδιον ἐπινοήσοι, - - ἕτερον αὐτῶ ἕτερον γενήσεται, καὶ οὐκ ἐστὶ ἀν' ἀναστάσεως, ἀλλὰ καὶ αὐτῶς διμάρτυρια.* Quamquam *vo-cula, ana,* in coniunctione cum aliis verbis, non semper idem valet, ac *rursus*, sed interdum etiam id, quod latine dicitur *sursum*, significat: tamen de verbo hocce composito, *ἀναστήμι*, et *ἀναστάσις*, cunctis suffragiis PATRES, graece haud nescientes, adseuerarunt, hanc eius vim esse, vt illius ipsius rei, quae ante confiterat cecideratque, restitutionem atque instaurationem designet. Hanc illi descriptionem nobis tradiderunt: *ἀναστάσις ἐστὶν ἡ δευτέρα τῆς πέπτω- κτος τασίς.* Ac ne potest quidem aliter fieri, iudice DAMASCENO, *de orth. fide. L. IV. c. 27.* CHRYSOSTOMVS in homil. LXIX. ita definit: *ἀναστάσις ἐστὶ τῆς πρῶτης καὶ διαλυθέντος.* Paulo significantius GREGORIUS NYSSENVS, in *Orat. in fun. Pulcher.* τὸτο ἐστὶν ἡ ἀνα- στάσις, ἢ ἡς τὸ ἀρχαῖον τῆς φύσεως ἡμῶν ἀναταξίωσις, nec vero sine insigni mutatione, quantum ad qualitatem; quocirca addidit: *πρὸς τὸ κρείτ- τον μεταβολῆ.* Conf. PHOTII *epist. p. II.* Atque huic vocis pote- stati tantum confisi sunt, vt argumentum quoddam ab ea arcesse- rint ad refutandos aduersarios. Exemplum nobis praebet EPI- PHANIVS, *adu. haeref. L. II. T. I. p. 558.* Non illis licuisset ex vocis notatione probationem rei argumentationemque validam effi- cere, nisi ea nominis significatio tum vsu communi, tum vero testimonii diuinis, abunde esset confirmata, v. g. Ioann. II. 19. Rem eandem aliis expresserunt nominibus, praesertim his duobus, *πάλινγενεσις* (ex falsa interpretatione verborum, Matth. XIX. 28.), et *ἀποκατάστασις.* THEOPHANES, *homil. 34*: *ἀποκατάστασις ἡς τὸ ἀρ- χαῖον τῆς φύσεως.* Ita pariter GREGORIUS NYSSENVS, *de an. et resurr. T. III. p. 252.*

- 1) in *refutat. Smigleii p. 131.* In hunc sensum suum detorquent non id solum, quod scriptum existat I. Corinth. XV. 44. *σῶμα πνευ- ματικόν*, sed illud etiam Christi promissum, Luc. XX. 36. quod futuri simus *ἰσαγγέλοι.* VORSTIUS, qui eorum causae nunquam defuit, in *tract. de Deo*, p. 200. Id igitur si in eam partem acce- peris,

inquit, homo erit Spiritus, et Spiritus viuificans. Quid? Spiritus erit, materiae omnis expertus? In eo enim nobiscum consentiunt,

B 3

quod

peris, vt ad vniuersam hominis naturam, non pro eo, ac par erat, ad perfectionem ei impertiendam, referatur, ecquid ex eo efficietur? Conclusio erit ex necessaria consequitione: fore tunc, vt ne quid minimum corporis humani ex cineribus existat, et homo totus in angelum conuertatur. Est hoc profecto improbandum, quod AVGVSTINVS inconsiderate dixit, ferm. 46. T. V. Opp. pag. 158: *Caro mortalis conuertetur in corpus angeli.* Omnem hanc controuersiam negligenter tractare solent SOCINI adsectae, quasi res parui momenti ageretur. In *Catech. Racouiensis*, scripto huius sectae publico, prorsus tacendo praetermiserunt vniuersum hocce dogma christianum, certe vnum ex praecipuis, quod vnum omnium maxime nobis commendatum esse diuus PAVLLVS voluit, I. Corinth. XV. 3. 16. 17., et quod ingenua confessione prae se ferre decet omnes, Christo addictos. In eo nimium faciles se SOCIANIS praebent REMONSTRANTES, quod disceptionem de corpore hominis rediuiui, eodemne, an alio, leuem, nec magni faciendam iudicant, qua sunt leuitare in aestimandis ac ponderandis causis, ad hominum salutem spectantibus. PHIL. LIMBORCHIVS, *Theol. christi*, L. VI. c. II. §. 36: *vt rum eadem numero corpora sint resurrectura? huius quaestionis decisionem non admodum necessariam, aut vtilem credo, sed inter curiosas referendam.* IO. CLEERICVS, in not. ad H. GROT. de ver. rel. chr. L. II. §. 10: *Non opus est, vt in nimias angustias nos redigamus (salua res est, CLEERICE! nullis nos angustias vrgemus) dum reuertitur materia nimis rigide defendimus (in tanta vero causa rigide praestat, quam frigidè). Reuertamur ad Socinianorum cohortem.* IONAS SLICHTINGIUS in suo comment. in I. ep. ad Corinth. XV. v. 45: *Disputare, ait, de corporibus, an hoc corpus animale, et corpus illud spirituale, sit idem numero corpus, superuacuum puto, quum res ipsa loquatur, ea, et naturis, et qualitatibus, quin et materia differre.* CHRISTOPH. OSTORODVS, in *der Vnterrichtung*, c. 41. pag. 395: *profiteretur quidem, et suo, et sociorum nomine: Ob wir wohl nicht glauben die Auferstehung des Fleisches, so glauben wir doch festiglich die Auferstehung unserer Leiber.* At enim paullo ante indicauerat haud obscure, non hoc, quod viuere desiderat, corpus, sed plane aliud futurum esse tum, cum reuiuiscemus. Non nunquam dubitanter loquuntur. SMALCIVS, *contra Franz*, p. 407: *Vbinam scriptum est, corpora nostra ex cineribus proditura? Equidem me tale quid legere non memini: Incertum igitur omnino censendum est. Nec tamen habuit religioni, aperte id negare, in exam. er. Arr. p. 36: Corpora haec, quae serimus, resurrectura non credimus. Quid? Quod SAM. PRZICOVIVS, in suis cogitat, in I.*

ep.

quod spiritus, et materia, inter se differant. At nihilo tamen minus corpus erit putandum? Qui tantam rerum repugnantiam non videt, is nihil profecto sapit.

Plurimum apud nos valet scripturae sacrae auctoritas, ab eaque regula non licet transuersum, vt aiunt, digitum discedere. Ea vero multo aliter nos edocuit, quae demum sit vera της αναστασεως ratio. Vt omnia in vnam summam conferamus, quatuor enuntiata rem continent. *Primum*: Deus immortalis mortuos omnes in vitam reuocabit, et eo quidem consilio, vt suam cuique mercedem tribuat, τα δια τε σωματος, προς α επραξεν. *Secundum*: Corpus, quod vnus mortalium quisque redditum sibi ac restitutum accipiet, id ipsum erit, quod fuerat exanimatum, nulla parte demta, quae naturam eius integram constituit; de quo admodum significanter dictum est, 1. Corinth. XV. 54: το φθαγον τστο, και το θνητον τστο ^m). Nec magna vi caret verbum, ενδυστη, vt pote quod mutationem notat non essentialem, vt Philo-
losophi

ep. ad Cor. p. 101. in hanc delapsus est temeritatem, vt nugatus sit: Nullo pacto absolute, et per se, carnem et corpus hominis partem essentiali ipsius compositi dici posse, nisi forte per accidens: Accidisse scilicet, voluntate Dei, vt dum in terris viuimus, in hunc carcerem compacti sint animi. Haec opinio ex luculento PLATONICORVM fonte hausta, quod corpus omnino sit tamquam carcer, in quo conclusus sit animus, neminem sinit in spem ingredi, vllam vnquam futuram esse huius corporis in vitam reuocationem. Verius dixit IO. CRELLIUS, in comment. in 1. ep. ad Cor. p. 351: Ad essentiam hominis simpliciter considerati pertinet, quod sit substantia quaedam corporea, sensibus et intellectu praedita. Id itaque nobis dare vi veritatis coactus est. Quid porro? Vidit hanc sibi obstantem difficultatem, p. 350: Quo modo idem futurus sit homo, qui moritur, et qui resurget, si diuersae substantiae corpus sit habiturus? Hinc vt se expediret, responsum dedit, pag. seq: homo tamen vnus idemque esse poterit, ratione eius partis, quae in ipso princeps est. At vete ne quidem fando vnquam auditum est, animum, a corpore suo disiunctum, nec vlllo vnquam tempore cum eo ipso denuo confo-
ciandum, hominem vnum eundemque esse. Is nihilo tamen minus perstat in sententia sectae suae: Corpus hoc mortale ab illo immortali differre genere et specie, ideoque numero idem esse non posse.

m) THEODORETUS ad h. l. ορας την ακριβειαν το θνητον τστο εδειξε διακτικως, να μη αλλως νομισθη σωματος αναστασι. Paulo copiosius de eo exposuit CHRYSOSTOMVS, ad h. l.

lofophi loquuntur, sed accidentalem. Id enim, quo quid induitur, necessario postulat aliquid, eo induendum: Atqui hoc est corpus illud, quod mortem et corruptionem erat expertum. Nemo unquam valebit nervos incidere argumentationis, quae ex hoc efficitur effato, ad Phil. III. 21., et quidem 1). ex vocala demonstrante, το σωμα, 2). ex adiectione determinante, της ταπεινωσεως, id idem corpus, quod fuerat infirmum ac mortale, 3). ex comparatione nostri cum Christi corpore, αυτο συμμορφον το σωματι της δοξης αυτου: atqui Christum in corpore eodem, in quo extremum halitum efflauerat, reuixisse, in eodem etiam ad caelum ascendisse, inde rediturum, tam certum est, quam quod certissimumⁿ). Vid. Ioanni. II. 19. Act. I. II. *Tertium*: Corpus hoc, iterum animatum, alio modo, siue aliis qualitatibus, perficitur, ita nimirum, vt ne unquam in pristinum mortalitatis et corruptionis statum recidat; quam ob rem PAVLLVS id vocat σωμα πνευματικον, i. ad Corinth. XV. 44. Id quod non κατ' εσιν, sed κατ' ποιότητα, debere intelligi, tum ex naturali differentia Spiritus et corporis efficitur, tum vero luce clarius adparet ex v. 35: πτω σωματι ερχονται; °). *Quartum*: Haec tanta commutatio aeternam quoque beatitatem adferet piorum hominum corporibus, horum-

n) Id negantes, SOCINIANI, Christo redinuo corpus aliud atque aliud adferunt; post *ανασταν* quidem, idem illud, ac ante, terrestre et mortale, quamuis illud non debuerit iterum mortem occumbere; post *αναψιν* vero caeleste atque adeo immortale, vt ne possit quidem mori. Sic mortale illud Christi corpus subito euauisse, vt omnino nihilum esset, in eiusque locum hoc immortale, mira videlicet conuersione, successisse fabulantur. Quo nihil nobis videtur esse absurdius. OSTORODVS in der *Vnterriechung*, c. XLI. p. 389: *Von der Zeit an, da Gott Christum zum Herrn gemacht hat er einen geistlichen und himmlischen Leib, und derhalben kein Fleisch und Blut mehr.* Deinceps, pag. 393: *Man kan nicht beweisen, das Christum Leib, welchen er gehabt, da er von den toden auferstanden war, vnsterblich gewesen sey.*

o) Cum quaeritur, quale quid sit, aut simpliciter quaeritur, aut comparate. In causa, quam nunc disceptamus, non descriptio facienda est naturae corporis, quod et quale sit illud, humanum ne: an aliud; sed comparatio eorum, quae humano corpori accidant, nimirum mortalitatis, atque immortalitatis, φθορας, και αφθαρτης, v. 36. 37. 38. conf. cum v. 53. 54.

horumque tres erunt pröprietas: 1). immortalitas ac perpetua duratio, ἀφθαρσία, cui opponitur mortalitas, corruptioque, φθορά (v. 42.): 2). gloria et bonorum perceptio, δόξα, cui contraria est miseria et malorum perperio, αἰνία (v. 43.): 3). firmitas virium, sine vlla variatione ac diminutione, δύναμις, vt nulla vnquam sentienda sit, aut metuenda, infirmitas, ἀσθενεία (in eod. commate).

Quod igitur a corpore hominis instaurato ac renouato erit remotum, nihil erit, nisi mortale et caducum. Id nimirum est, de quo scriptum exstat in litteris PAVLLI prioribus ad Corinth. c. XV. v. 50: Ζαρχὴ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ ἀληθοσύνησιν καὶ δύναμιν P). Carnis et sanguinis nomine Vir diuus, isto quidem in loco, non ipsam corporis humani naturam nuncupat, sed ei adiunctam debilitatem, tristemque mutationem, quam paullo ante dixerat, φθοράν. Omnino duplex est huius corporis materia; alia quidem constans, seu, vt vulgo dicitur, essentialis, necessaria ea ad corporis naturam et confi-

- p) Haec verba sunt in primis, quibus SOCINIANI peruerse vtuntur. Ne quis ita male interpretaretur, iam pridem praecautum ac proiutum est ab AVGVSTINO, contra Manich. L. XVI. c. 29: De quibus verbis soletis calumniari fidei nostrae, qua credimus, huius corporis futuram resurrectionem: sed dissimulatis ea, quae sequuntur, in quibus aperte apostolus, quid dicat, exponit. Volens enim ostendere, quid eo loco dixerit carnem, continuo subiicit: neque corruptio incorruptionem possidebit. Hoc enim corpus, quod propter mortalitatem proprie caro nominatur, mutari dicit in resurrectione, vt iam non sit corruptibile et mortale. Notatione dignum est, nostraeque omnium adfensione comprobatum, quod b. LVTHERVVS, in Catech. maiori, vno ex nostris symbolis, pag. 501. ad explanationem articuli 3. in symb. Apost. ingenuè passus est: quod hic ponitur, Auferstehung des Fleisches, resurrectionem carnis, ne hoc quidem valde apte et bene lingua nostra vernacula expressum est. Etenim carnem audientes non vterius cogitamus, quam de macello. Vtrum recte et genuine loquendo germanice diceremus, Auferstehung des Leibes, oder Leibnamens, hoc est, corporis resurrectionem? At tamen res est momenti non magni, dummodo verborum sensum recte percipiamus. Haud equidem abnuo, quod commemorat Auctor hist. symb. apostol. c. VII. §. 28. rationem fuisse sat idoneam, quare carnis nomen sit vsurpatum, quippe ad redarguendum eos, quorum ferebat opinio, hominem quemque accepturum esse corpus aëreum, id quod toto, vt aiunt, caelo ab hoc terrestri distaret. Atque ob eam ipsam causam in simbolo Aquileiensi ita definitum fuit: credo resurrectionem huius carnis. Vid. RYFFINI expos. in symb. Apost. p. 156.

constitutionem, vt vere sit humanum corpus, alia vero mutabilis, quae adpellari solet accidentalis, atque haec ad alimentum et conseruationem pertinet, quoad mortale est corpus ^q). Fac ergo, corpus quoddam hominis ab animantibus, siue brutis, siue immanitate efferatis, deuorari ^r). Non constans eius materia deuoratur. Considera mutationem corporis continuam, particularum aliarum decessione, aliarum accessione. At ipsa tamen corporis natura neque augetur, neque minuitur. Naturaliter fieri non potest, vt materia quaedam, ac vel minima eius pars, profus intereat, aut in aliam naturam conuertatur. Id, quod aliquando existit, ad nihilum redigere, aequè diuinum est, ac efficere, vt id, quod nihil est, existat. Ita pariter infinitae potentiae Creatoris proprium est, rerum naturam penitus immutare. Vides igitur, quo modo ingens profecto miraculum, humano ingenio excogitatum, statuere eos oporteat, quibuscunque miraculum hoc, diuinae patefactionis auctoritate confirmatum, propter ea, quod sit miraculum, incredibile profus videatur. Vtinam id cogitassent, qui, suae rationi nimium confisi, tantoque plus Deo diffidentes, vsque eo audaciae progressi sunt, vt restitutionem vnus eiusdemque corporis aut *nullam* fore putauerint ^s), aut *falsam* fuerint opinati ^t).

Quis

- q) Probe commentatus est b. BALDVINVS in I. Corinb. XV: *Resurget idem numero corpus, quoad partes substantiae humanae constantes, non quoad omnes partes vagas, quae iam cum hoc, iam cum alio corpore coniunguntur.* vid. quae aduersus viros doctissimos, BURNETVM, et BERNOVLLI, erudite disputat HERMANNVS PFLVG, *Beweis der Auferst. der todten*, p. 221. seqq. Veterinimis quoque scriptoribus non omnino incognitam fuisse, tamen non satis perspicue explicatam, distinctionem materiae constantis, et mutabilis, in corpore humano, discere poteris ex EPIPH. *adu. haer. Lib. II. T. I. pag. 536.*
- r) Peruerusta est haec oppositio, et vna omnium maxime speciosa, qua armati semper soliti sunt dimicare aduersarii, quorum conatus represserunt, quamuis nonnunquam parum adcurate, vt erat mos temporum, disputarint, TERTVLLIANVS, ATHENAGORAS, plures alii.
- s) Velut, praeter Socinianos, ARTHVRVS BVRV, in *latit. orth. L. II. c. 4.*
- t) Quem ad modum CONNOR, in *Euang. Medici*, p. 112. ridicule auguratus est, corpora hominum, ac vel maxime Gigantum, cum reuix-

Quis est, aut quotus mortalium quisque, qui, cum immensam in Deo et scientiam, et potentiam, potestatemque, religiose suspiciat, non eam certo sciat efficacitate sua plurimum pollere, ad corpus hominis, quod primum ex terra exortum fuit, in eamque reuerfum, rursus nullo negotio ex ea excitandum, singulas eiusdem particulas, utcumque et quo usque dissipatae fuerint, colligendas, cum aliis commixtas, ab eis separandas, atque adeo longe illustrius suum cuique corpus reddendum? ^{u)}. Si qui sunt (sunt autem permulti) quibus id nequiquam probabile, quin immo absurdum, omnique rationi aduersarium videatur, illi profecto nihil agunt amplius, quam ut vim, quae in Deo inest, infinitam perangustis humanarum virium terminis metiantur, re autem ipsa Deum negent, omnia scientem, omnia item valentem. Demonstrant nobis, quaesumus, aliquam, non quae videretur esse, sed quae esset, repugnantiam. Explicite igitur, quid sit in ista re, quod aut sibi, aut aliis veritatibus aperitis, manifesto repugnet? Si id praestare nequeunt, qui hoc probari poterit cuiquam, rem omnino fieri non posse? Nondum ne didicerunt tritam illam in scholis Philosophorum praenotionem, omniumque primam: Nihil esse simpliciter impossibile, nisi in quo vera atque euidens inest repugnantia? Cum magnam sibi sapientiam et maximarum rerum scientiam sumunt atque arrogant, turpiter

sua reuixerint, fore minuta corpuscula, instar muscarum, aut, si quid grauius multo velis dicere, tamquam pumiliones.

- u) Praeclare HUGO GROTIUS, *de verit. relig. christ.* L. II. c. 10. Cum inter philosophos plerosque constet, rebus quantumcumque mutatis, manere materiam, diuersarum specierum capacem: quis dicat, aut Deum nescire, quibus in locis, etiam longissime distantibus, sint partes materiae istius, quae ad humanum corpus pertinuit; aut deesse ei potentiam, qua eas reducat, atque recomponat, idemque faciat in suo universo, quod in fornacibus, aut vasis, facere Chymicus videmus, ut, quae congenera sunt, quamuis disiecta, colligant? Inter Doctores primae aetatis auctor quaestionum et resp. ad Graecos, quae exstant in Opp. IUSTINI Martyris, resp. 15. num. 24. acute argue- que disseruit: Εἰ τα ἐκ τῶν στοιχείων παλιὴν στοιχία, τι ἀποτοπὴν ἢ ἀδιαιτητὴν Φαινετοί, το παλιὴν κινῆ τα ἐκ τῶν στοιχείων; Et paullo post, n. 29: Ἐστὶν ἐκ ἐπὶ τῷ Θεῷ ἔργον ἔργῳ ἐργωδέτερον, πῶς ἐκ ἐπὶ ἀλογῶν τι πιστεῖν μὲν Θεῷ ἐπὶ τῇ ποιῆσιν τῶν παντῶν ἐκ οὐτῶν, ἀπίστῳ δὲ αὐτῷ ἐπὶ τῇ μεταποιῆσιν τῶν Φθαρῶ- των; id quod omnino congruit cum isto PAVLLI dicto, ad Rom. IV. 17.

fua produnt temeritatem atque inſcientiam, quod ignorent non modo τὰς ἰσχυράς, verum etiam τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ *), cuius quodam modo naturalem et inſitam in animis noſtris notionem habemus. Geminato rem argumento illuminauit Legatus Chriſti, quorum alterum quidem duxit a differentia corporum, itemque carniū, quando quidem earum alias cernimus puriores ac tenuiores, alias craſſiores, 1. Corinth. XV. 39. 40; itaque oſtendit, craſſitudinem corporis carniſque haud neceſſario ad corpoream naturam, a Spiritus natura diuerſam, requiri: alterum arceſſiuit ab immutatione, ac viciffitudinibus eorum, quae corpori cuidam, ſalua eius natura, eueniunt; ex quibus adparet, fieri poſſe, vt illud ipſam corpus proprietates, ſeu, vt moris eſt loqui, qualitates nanciſcatur alias, multumque praefantiores; in eod. cap. v. 36. 37. 38. coll. cum v. 42. 43. 44. Ecquis mente comprehendit ac perſcrutatur admirabilem Creatoris potentiam in frugibus, quae quotannis e terra naſcuntur? Quis non obſtupescit, cum acri eas intentoque animo intuetur, quae, et quantae, ex tenuiffimis feminibus procreentur? An res ipſi credibilis videretur, niſi experientia, et, vt ita dicam, oculari demonſtratione, eſſet conuiſtus? Cur vero tam audax eſt, vt in corpore humano, tamquam in terra ſato, atque inde non ſine forma perfectiſſima redituro, tantum de laudibus Dei detrahat, quaſi is vnus rerum omnium Effeſtor id non queat efficeret, κατὰ τὴν ἐνεργεῖαν τοῦ δυναſθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξει αὐτῶ τὰ πάντα; Phil. III. 21.

Ergo nos omnes, Chriſto dediti, hanc Chriſtianorum fiduciam (vt recte ait TERTULLIANVS) inſuperabili animi firmitate reneamus, nec nobis hanc veritatem certiſſimam, qua delectamur, dum viuimus, extorqueri patiamur! Ergo igitur et hos dies feſtos ea agitemus pietate, quae et Chriſti, ex mortuis excitati, laudibus ſummis conueniat, et noſtrae, quam recuperata Chriſti vita fulſit, ſpei laetitiaque declarandae ſit conſentanea! Academicum quoque ſolenne illud ſeruemus, ac feſtorum dierum primo, hora XII. ma, attentos nos auditores praebemus Viro nobiliſſimo, doctriſſimaeque exculto, DOM. M. THEODORO AMBROSIO STROBACHO,

C 2

Anna-

*) MATTH. cap. XXII. v. 29.

XX

Annaburgo-Saxoni, venerabilis Patris sui et Paternarum virtutum
aemulo, belle et festiue dicturo *de testibus, quos habemus de Chri-
sto resuscitato, quo minus ipsi fuerint creduli, eo magis fide dignis.*
Quem conuentum vt sua praesentia ornare velint ILLVSTRIS-
SIMI COMITES, et HONORATISSIMI REI PVBLICAE
VTRIVSQVE PROCERES, vt frequens etiam sit *Generosissimo-
rum ac Nobilissimorum Academiae Ciuium* concio, ea, qua decet,
obseruantia atque humanitate rogamus. P. P. in vigiliis sacris,
A. R. S. MDCCXXXVII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA



ed 14.

01 A 6501

ULB Halle
002 927 330


3



sh

12





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



22
22

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
SACRVM ANNIVERSARIVM
IN MEMORIAM
CHRISTI REDIVIVI

ANNO MDCCXXXVII

CONCELEBRANDVM

INDICIT

22-1